J-XXIX 18/d
55151
23

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA
DE
GRAVIDITATIBUS EXTRA-UTERINIS,

QUAM Deo duce & Auſpice Dei-parâ, tueri conabitur BARTHOLOMÆUS DELPON, Lugdunæus, liberalium Magiſter Artium, nec-non Medicinæ Alumnus in ſaluberrimo Lycæo Monſpelienſi Medico, hujus Auctor Diſſertatiunculæ.

Pro primâ Apollinari Laureâ conſequendâ.

. . . .
Mais où trouver un Sage de vingt ans?
DUMAS ainé, Ep. à Sainval cad.

MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis & Univerſitatis Medicinæ, Typographum unicum.

M. DCC. LXXXII.

ARGUMENTABUNTUR

N. N. D. D. PROFESSORES REGII.

N. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

N. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex Adjunctus.*

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

N. D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Pro-Decanus.*

N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER.

N. D. JOANN. CAR. DE GRIMAUD, N. D. BARTHEZ, *Coadjutor.*

N. D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN, N. D. DE LAMURE, *Coadjutor.*

ILLUSTRISSIMO

D. D. RAST,

DOCTORI MEDICO,

VIR CLARISSIME,

Occurrit fauſta dies, quâ, ſub tuis auſpiciis, illud tentamen in lucem edere poſſum, ut meorum in Arte Medicâ Studiorum primitias, in æternum & publicum grati animi ſpecimen,

VIR ILLUSTRISSIME,

D. V. C.

BARTH. DELPON,

Alumnus tuus.

Antè leves ergò paſcentur in æthere cervi,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces,
Antè pererratis amborum finibus exul,
Aut ararim parthus bibet, aut germania tigrim,
Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.

Virg. Egl. I.

PROŒMIUM.

VIRO cuidam, in Arte anatomicâ verſatiſſimo, chirurgicis peritiſſimo in Rebus, Præceptori meo in utrâque parte, debetur hujus argumentum Diſſertatiunculæ. In principio, de morborum affinitatibus me exercui: aſt verò, ad morboſas ſimilitudines, vanis laboribus meis, ad extraneas geſtationes recucurri. Innumeræ, apud publicam Noſocomii, nomine *St. Eloy*, Bibliothecam, à me collectæ fuêrunt obſervationes.

Fontes, è quibus oriuntur exempla, in præſenti contenta Diſſertatione, enumerantur 1°. Academiæ Scientiarum Pariſienſis Commentaria; 2°. medicum Diarium; 3°. Encyclopedia; 4°. Philoſophicæ Tranſactiones; 5°. edimburgenſis Commentaria Societatis; 6°. generalis itinerum Hiſtoria; 7°. varii Obſtetricatores; 8°. varii Obſervatores; 9°. exoticæ Diſſertationum Col-

lectiones; 10°. Chirurgiæ Academia; 11°. londinenſis Societas; 12°. hallerianum Theſaurum phyſiologicum; 13°. boerrhavianæ Inſtitutiones medicæ; 14°. extranea Manuſcripta; 15°. privatæ Relationes; 16°. ſpeciales Epiſtolæ; 17°. periodicæ Paginæ; 18°. miſſa voce, Facta analoga; 19°. congruæ Narrationes, &c. &c. &c.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
GRAVIDITATIBUS EXTRA-UTERINIS.

NON raro, poſitis à ſe, legibus natura aberrat: ideò accuratiſſimè colligere tenetur naturaliſta Medicus, & nitidiſſimum ſub diem ponere exempla, per analogiam conjuncta luminoſam, quorum ope conſtituuntur principia, quibus freti, humanitatis Sectatores, & in Arte verſati, diſcernere mirandas poſſint naturæ aberrationes, hanc communem ducturi parentem, plerùmque errantem. Hæc hujus finis Diſſertatiunculæ: à debiliſſimo Tyrone aggregata fuêre plurima exempla, fuêrunt ſtructa certiſſima principia, haud ſequentibus aliena phœnomenis. Sic ſe habet res præſens, ut mihi ſit poſſibile, ordinata. Primum tenebit locum brevis de regulari conceptione tractatus: exponentur de conceptubus generalia ſpuriis, ſequetur geſtatio ovaria, poſteà tubaria graviditas, deniquè abdominalis geſtatio. Haud pravus mihi videtur ordo enunciatus; nàm ponenda ſunt, per tranſennam, fundamenta, de regulari conceptu voluta, ut certiſſimis conſiderentur oculis geſtationes remotæ, quarum plura ſymptomata, ab iis, conceptionem veram, regularemque graviditatem comitantibus, parùm diſcrepant. In regulari conceptione, ovum, in ovario fœcundatum, brevi tempore, cellulam relinquit, parte tubali comprehenditur fimbriatâ, ſubit tubam, ad uterinum pergit uſque cavum è quo egredi debet, elapſis novem menſibus. Nùnc exponenda eſt theoria, à *Buffonio* in lucem edita, de verâ conceptione: » dans l'eſpece humaine,

» la ſemence du mâle entre dans la matrice, & ſi elle y trouve une quan-
» tité ſuffiſante de celle de la femme, le mêlange des deux liqueurs a lieu, & la conception ſuit. » Aſt verò conſtantes non ſunt dictæ leges; nàm frequentiſſimè commiſcetur, vel in tubâ, vel in ovario, cum ſemine muliebri, maſculinus liquor prolificus: tùnc evenit, vel geſtatio tubaria, vel ovaria graviditas. Quandòque accidit, ovum, in ovario fœcundatum, cadere in ventrem, haud comprehenſum parte tubæ fimbriatâ: tùnc inſurgit geſtatio abdominalis. His prælibatis, tractantur breviſſimè generalia, de extraneis actura geſtationibus. Per extraneam geſtationem, à me intelligitur illa graviditas, quæ fit, vel in ovario alio, vel in tubâ, aut dextrâ, aut ſiniſtrrâ, vel in abdomine, vel in vaginâ: de iſtâ poſteriori nihil dicemus. In triplici ſpecie præcipuâ dimotæ geſtationis, extat tumor in gravidâ regione, non clauditur uteri hiatus, haud creſcunt mammæ, parviſſimâ quantitate fluunt menſtrua. In geſtatione extraneâ, perſentiuntur à matre dolores acutiſſimi & laniantes, regionem occupantes geſtantem, tormina ferè intolerabilia, gravis eſt decubitus in latus gravido oppoſitum; ſiquidèm, per pondus, à fœtu productum, gravida torquetur, & etiàm non lectum ſervare poteſt. Ad prognoſtica, dico illìc, remotas graviditates, generatìm conſideratas, haberi periculoſas, & pro matre, & pro infante: quod probant plurimæ obſervationes, à melioris notæ obſtetricantibus relatæ. Fœtus, vel ovarius, vel tubalis, vel ventralis, quandòque abire poteſt in putredinem; aliquandò ad petrificationem vergere valet. In utroque caſu, vel inſurgit febris lenta, vel inſurgit hydrops, aut ſpecialis, nempè, in ovario, aut generalis, ſcilicèt, duntaxàt tamèn in abdomine.

Sivè ſit particularis, ſivè ſit ventralis, hydrops, tùnc matri datur plerùmque lethum. Admiſsâ geſtatione remotâ, gaſtrotomiam, vel externam ſectionem cæſaream, proponunt plurimi Auctores, ut unicam rationem curandarum, è radicibus altiſſimis, graviditatum, extrà matricem creatarum. Hanc ſententiam amplectuntur, imprimìs in caſu tubæ geſtantis, clariſſimus *Cypryanus*, D. *Simon*, D. *Soumain*, pluréſque alii. Prægreſſis generalibus, nùnc agitur de primâ conceptuum ſpecie ſpuriorum. In graviditate ovariâ, ortûs ſedem non relinquit ovulum, illìc accreſcit. Triplex illius à D. *Aſtruc* diſtinguitur. In primâ, extat ſteatoma, fœtum continens. In ſecundâ, propriam occupat cellulam homotiunculus. In tertiâ, ſub finem geſtationis, ab homunculo rumpitur cellula. Paulatìm ſteatoma craſſeſcit, ovarium, datâ proportione, dilatans. Diù hunc tumorem, abſque notabili incommodo, fert matrem.

Nimìs creſcens, dicta eminentia, in abſceſſum puriformem transformatur. Comitatur lenta febris abceſſum, ſed leviſſima. Quandòque ſuccedit abſceſſui ovarius hydrops, etiàm quoquè in abdomine, aquoſa collectio. Aliquandò, naturâ apertus in ventrali cavitate, abceſſus mala producit graviora.

graviora. Si fœtus in ovario expiret, tunc id evenit, vel quià ſtrictior, homini tamen parviſſimo, habetur ſedes, vel quià non ſufficit cibus, à tunicis præbitus intimis, ad ovarium pertinentibus. Quandòque dilaceratur à fœtu veſicularis cellula: id contingit, quià nulla datur proportio grandiorem fœtum inter & ſtrictiorem veſiculam. Rupturam concomitatur copioſa ſanguinis effuſio, cui ſuccedit, brevi tempore dato, parentis lethum. Non rarò accidit fœtum emoriri in ſede, quià prava habetur adhæſio funiculi cum umbilico infantis. Provenire adhùc poteſt mors infantuli, è metu, per-ſentito à matre, illiciti deliciis commercii fruente, attamen propriam ſervare, ſed plerùmque fruſtrà, quærente famam. Emortuus infans, vel liqueſcit, vel ſub formâ pultis redigitur. in pulte majorem acquirunt duritiem germina dentium non metamorphoſata, accipiunt incrementa capilli, non transformati, teſtibus *Ruyſchyo* & D. *le Riche*. Si pulteæ materiei firmior detur conſiſtentia, tunc inſurgit plerùmque tumor ſquirroſus. Si ad metamorphoſin puriformem vergat, tunc ſæpiſſimè efformatur abſceſſus. Suppoſitus diù vivens in ovario, fœtus ſedem dilatat: per hanc dilatationem, procreat dolorem tenſivum, quo laboratur mater in regione ovariâ. Exponetur illìc, ſi jubeat lector benevolus, explicatio conceptûs, in ovario efformati, ab immortali *Buffonio* præbita: » dans l'inſtant, où la liqueur prolifique » eſt dardée, il peut ſe faire, que ce fluide organique parvienne juſ- » qu'à l'ovaire, ſi le pavillon embraſſe, en ce moment, le teſticule de » la femme: alors la ſemence du mâle ſe mêle avec celle de la femelle, » la fécondation a lieu, bientôt ſuit la conception. » Ferè impoſſibilem exiſtimat autor quidam celeberrimus, in ovario conceptionem, poſteà fœtum, benè formatum, daturam. Aſt verò deſtruit opinionem illam Littriana obſervatio. Narratur à *Littrio* fœtus, benè formatus, in veſiculari cellulâ, ad ovarium pertinente, repertus. Huic homunculo maximè diſtincta habebantur vultûs rudimenta: jamjàm prœminebant bracchia, apparere incipiebant extremitates infimæ: infantulo erant funiculus, placenta, membranæ & aquæ. Lineam ſuperabat hujus craſſities infantis: per longitudinem, æquabat lineam triplicem homo parviſſimus: conſideratâ funis craſſitie umbilicalis, metiebantur partem lineæ tertiam: perpenſâ funiculi longitudine, linea ipſi erat cum punctis pluribus: placenta laudabatur veſicula. (Hiſt. Acad. Sc. P. an. 1701, p. 109.) Per Varocquianam obſervationem probatur adhùc quoque, benè formatorum exiſtentia, in ovario reſidentium, homunculorum. Narratur illud exemplum apud Hiſ. Acad. Sc. P. an. 1756, p. 48. Fœtu Littriano grandior erat Varocquianus infans. Haud rarò reperiuntur, in ovariis, fœtuum fragmenta, in tumoribus, vel atheromatoſis, vel melliceridéis, vel ſteatomatoſis, reſidentia. Apud *Hallerum*, phyſiologico in theſauro, enume-

rantur ex obſervantibus plurimi, exiſtentiam narrantes, vel in brutorum femellis, vel humanis in fœminis, ovarias tenentium cellulas, reliquorum, naturâ præditorum oſſeâ, ad infantes pertinentium, in teſtibus efformatorum muliebribus, repertis carnibus putrefactis, ligamentis, cartilaginibus, membranis, partibus aliiſque mollibus, atque per requiſitam excretis viam. Conſulendum de materie præſenti octavum phyſiologiæ, ſuperiùs laudatæ, volumen, perlegendis, de conceptu ipſiuſque phœnomenis, paragraphis. Apud *Strauſſium*, *Froſinum*, *Boëhmerium*, *Teichmeyerum* memorantur, reſidentes in ovariis, homunculi, vel integri alii, vel alii imperfecti. In Medicis inſtitutionibus, ab autore *Hermanno Boerhaavio* relictis, accuratiſſimè deſcribuntur, verbis ad rem maximè idoneis, plures in teſtibus viſi fœminæis, homotiunculi. Ab immortali phyſiologiſtâ datur infiniti autorum numeri catalogus, queis ſcriptoribus debentur eximia, ovariis de geſtationibus, exempla. Perlegantur Academiæ Scientiarum Pariſienſis commentaria : inferuntur illic obſervationes plurimæ, inter quas eminent ſequentes : » Théroude, Chirur-
» gien à Paris, fit voir, à l'Académie, une maſſe informe, qu'il avoit
» trouvé dans le teſticule droit d'une fille, âgée de dix-huit ans : on y
» remarquoit deux fentes, ouvertes & garnies de poils, comme deux pau-
» pieres : au-deſſus de ces ouvertures, étoit une eſpece de front, avec
» une ligne noire, à la place des ſourcils : immédiatement au-deſſus il
» y avoit pluſieurs cheveux, ramaſſés en deux paquets, dont l'un étoit
» long de ſept pouces, & l'autre, de trois : au-deſſous du grand angle de
» l'œil, ſortoient deux dents molaires, dures, groſſes & blanches : elles
» étoient avec leurs gencives : elles avoient environ trois lignes de
» longueur, & étoient éloignées, l'une de l'autre, d'une ligne : une troi-
» ſieme dent, plus groſſe, ſortoit au-deſſous de ces deux-là : paroiſ-
» ſoient encore d'autres dents, différemment éloignées les unes des au-
» tres, & de celles dont nous venons de parler : deux entr'autres, de
» la nature des canines, ſortoient d'une ouverture, placée à peu près
» où eſt l'oreille. (Hiſt. de l'ancienn. Acad. Sc. t. 2, pag. 91.) Additur *Meryana* obſervatio.

In ovario cujuſdam mulieris, ope abſceſſûs, aperto, extabat maxilla ſuperior, plurimis armata dentibus perfectis : inter quas, aliæ judicabantur, ad puerum, decem annos natum, pertinentes. (Hiſt. vetuſ. Acad. Sc. t. 2, p. 244.)

Narratur illic ſequens obſervatio. D. de *St. Maurice* debetur iſtud exemplum : quod, in diario gallico, pro m. Jan. an. 1683, refert Abbas quidam, nomine *De la Rocque*.

Une Dame mourut de la groſſeſſe de ſon neuvieme enfant, formé dans l'un des ovaires : on trouva le ſujet hors du teſticule, nageant au

milieu de l'abdomen, dans un amas de ſang : ſa groſſeur étoit d'un pouce : ſon ſexe étoit apparent.

Tribuebat, rupturæ ovarii, lethum parentis, obſervator ; nam, rupto ovario, contigerat copioſa ſanguinis effuſio, cui addebatur vehementiſſimus dolor, cum ſyncopâ lethali ; utero nulla dilaceratio : tubis, nulla læſio.

Nunc exponitur aliud factum, in Diſſertatione, *de Uteri placentæque ſtructurâ & uſu*, conſignatum ab Auctore *Vieuſſens*, apud Verehyanam inſertum adhùc anatomiam, in tom. 2, ultimâ editione.

Obſervator ſequentis exempli, nomine *Montagnierus*, in urbe Gallicâ, cui titulus *Lambeſc*, Medicinam exercebat.

Morte ſubitaneâ erepta fuit quædam gravida : ipſius abdomen torquebant acutiſſimi dolores : laborabatur geſtans quoque animi defectionibus conſiderandis, non adhùc ipſi morte datâ : in ventre hujus fœminæ reponebatur infans, duplicem natus menſem : medio in ſanguine multo natabat genitura : illæſus uterus : intactæ, tubæ : maximè tumefactum, dextrum ovarium, cui, in parte infimâ, apparebat dilaceratio, per quam lapſus fuerat in abdomen infantulus.

Nulla dantur ſigna, quorum ope, prævideri poſſunt ovariæ geſtationes.

Inter diagnoſtica eminet ſequens, nempè, in ovariâ tumefactio regione, eminent quoque proſequentia, ſcilicet, 1°. hians uteri orificium, 2°. mediocris fluxus menſtruorum.

Inter ſymptomata, præcipuum tenent locum, regione in gravidâ tenſio, circumdantium diſtractio partium, nauſeæ, motus convulſivi, ſyncopæ, vomituritiones.

Nunc examinentur prognoſtica. Vergens ad ſquirrum, ovaria geſtatio non necat plerumque matrem.

Ad abſceſſum tendens, quandòque communicare gangrænam viſceribus poteſt eſſentialibus, & gravidæ tribuere lethum.

Si rumpatur ſubitò ovarium, agente dilacerationem grandiori fætu, tunc certa genitrici mors repentanea.

Per hydropem, vel in ovario, vel in ventre, terminata, geſtatio teſticularis, diureticorum, aperientium, paracenthæſis ope, curari poteſt.

Petrificatus in ovario, homunculus, in dicto efformatus loco, nullum procreat grave periclum : quandòque geſtatur, ſine incommodo notabili, integram parentis per totam vitam. Generare etiam valet mulier, alios fœtus, etiam uterinos. Iſto de phœnomeno referunt plura exempla obſtetricantes.

Quandòque deſſicatur paulatìm ovarius infans : liqueſcit aliquandò : plerùmque unicum corpus cum ovarii intimis efformat tunicis : aliquan-

dò elabitur in ventrem, atque, fiſtulis in tubo inteſtinali apertis, Rectum ſubit inteſtinum, aut, canali urethrâ dilaceratâ, dictam petit viam, atque unà cum urinis éxcernitur: quod, ſine acutiſſimis doloribus, non accidit, quorum victima fit frequentiſſimè genitrix.

Nunc deveniamus ad tubariam geſtationem.

In iſtâ ſpecie, extat fœtus, in cornu reſidens, illìc nutritus, illìc incrementum capiens. Subſtantiâ tubali, ab uterinâ ſpongiosâ pulposâque, quoad naturam, non diſcrepante, haud mirum habetur homunculum reperire in cornu ſufficientem cibum, præcipuè in geſtationis principio: dico, ineunte graviditate; quià, poſt menſes aliquot, haud ſat fit plerùmque nutrimentum, tunicâ præbitum tubali intimâ; frequentiſſimè enìm ſedem dilacerant, vel in cornu emoriuntur tubales fœtus: dilacerant, ſi vires adſint ipſiſmet ſufficientes ad perficiendam rupturam, ſuperiùs laudatam: expirant in dictâ ſede, nimiori debilitate ipſiſmet conceſsâ.

Diſtinguitur tubaria geſtatio per nephreticos dolores ſpurios, per uteri aditum, ope tactûs, haud perceptum.

Inſiſtit de ſigno duplici clariſſimus *Pouteau*, Lugdunæus vir, in Arte Chirurgicâ peritiſſimus, aurei autor operis, in quo legitur egregia obſervatio de tubali geſtatione, ſeptem per annos & ultrà durante. Gravida, nomine *de Claris*, matrona nobilliſſima Monſpelæa.

Hujus veritatem exempli comprobant cl. *Bourquenod*, D. Med. *Rame*, cel. *Pouteau*, auctoris Miſcell. chirurgic. parens, nunc morte abreptus.

Multùm varia ſunt, geſtationem concomitantia tubalem, ſymptomata.

Inter præcipua numerantur, dolor ſcrobiculum occupans, gravidam vexans dolor regionem, fœtûs in ſede ingratum pondus, anxietates, vertigia, delirium, nauſeæ, vomituritiones, tormina, teneſmus. Excernente ſtercoralia matre, inſurgunt laniantes abdomen, dolores vehementiſſimi, ut, apud fœminam Louwenſem obſervatur.

Seſe metamorphoſare in petrificationem tubalis fœtus valet.

Vergere ad putrefactionem, in cornu remanens, poteſt infans. Corripiente ipſum gangrænâ, duntaxàt molles diſſolvuntur partes, oſſeis à corporibus ſecernuntur epiphyſes, mortificatione abripiuntur, circundatæ tubam, partes, inſurgit abſceſſus, viis inteſtinalibus apertis, rectum ſubit inteſtinum, dilaceratis ductibus urinariis, hanc viram penetrat tabum, ſecum trahens, non putrefacta, oſſa, plùs minùſve tamen alterata.

Corripiente tubalem fœtum petrificatione, nullum notabile incommodum experitur mater, per totam vitam fért lapideam progenituram.

Pulteus fieri poteſt fœtus, cornu inſidens: ſeboſus quoque efformari: melleus effici: ſquirrum producere valet, lentam febrim generare:

Lichen
tubæ fallopiana



ad cancrum vergit quandòque tumor ſquirroſus. Si legere velis, percellentem admiratione, obſervationem, perluſtretur Acad. ſc. hiſt.: illic inſeritur exemplum de tali re, à Littrio præbitum.

Apud Brutorum femellas, obſervârunt in tubis conceptiones *Hallerus*, *Boerhaavius*, *Douglaſius*, *Euchnerus*, *Elſholzius*, *Solingenius*, *Santorinus*, *Duverneyus*.

Narratores de conceptubus tubariis numerantur *Cornax*, *Benedictus Alexander*, *Roſſæus*, *Rouſſæus*, *Squenchyus*, *Salmuthus*, *Schurigius* in embryologiâ hiſtorico-medicâ.

Quam medendi rationem adhiberetis, ſervatos matrem & infantulum optaturi? Gaſtrotomiam admittunt alii: juxtà alios, malæ ſorti relinquenda eſt parens. Ex primâ ſententiâ, clariſſ. *Cipryanus*. Ex ſecundâ, ill. *Pouteau*. Poſteriorem amplectimur; nam, per tubæ inciſionem, inevitabilis eſt copioſa ſanguinis effuſio, ſectis tubalibus ſanguiferis ductibus, debilioribus fibris tubæ muſcularibus circulariis, ideòque non sàt repentè diviſas partes conſtringentibus. Porrò, non, ſine dolore grandiſſimo, illa ſectio: per acumen doloris provocatur ſyncopa læthalis.

Ad geſtationem tranſeamus ventralem. In iſtâ graviditate, immediatè poſt fœcundationem, ex ovario ventrem petit ovulum, novamque ſedem occupans, incrementum tamen accipit. Cuidam viſceri annectitur placenta, modò externæ ventriculi faciei, modò inteſtino nomine *Colon*, quandòque ad alium renem, aliquandò ad concavam faciem hepaticam. Vitæ curſu, in ventre, conſiderato, relativè ad fœtus abdominales, nullum diſcrimen extat uterinos inter & dictos: naturalem ſervat matrix ſtatum, extante abdominali geſtatione: haud clauſum, uteri orificium.

Ventriculum incumbens, fœtus vomituritiones excitat matri: ad inteſtinum colon hærens, colicos provocat dolores: cum alio ex utroque rene junctus, nephreticos dolores ſpurios concitat: propè hepar ſitus, icterum procreat: matricem inter & rectum inteſtinum poſitus, teneſmum creat: veſicam urinariam inter & uterum collocatus, mingendi difficultatem gignit: purulentæ fiunt urinæ, aperturâ veſicæ extante, per fœtum emortuum efformatâ putrefactum. Cum fluido urinoſo puriformique trahuntur epiphyſes, ab oſſibus disjunctæ, in fruſtula diviſæ, excretæ cum particulis oſſeis, carie ſeparatis. Dilacerant, urinarios ductus, oſſearum fragmenta partium excreta. Ex portiunculis aliquæ duriuſculis moleculæ, parietibus veſicæ & urethræ intimis, quandòque applicantur; quâdam vi ipſarum excretioni obſtante: tunc perſentiuntur in organis, ſuperiùs laudatis, dolores, sàt parùm intolerabiles: accidit metuenda inflammatio, brevi temporis lapſu, ad gangrænam vergens, ideòque fletus provocantia producens mala, quibus datur gravidæ crudele lethum. Aperto cadavere, apparet putrefactum abdomen, im-

primìs veſicâ ferè omninò deſtructâ, excoriatâ, horrendum viſu, urethrâ, matrice plus minùſve alteratâ, partibus vicinis plùs minùſve læſis: haud integrum conſideratur inteſtinum rectum: non ſunt illæſa, exteriora generationis organa.

Conſideratis gangrænæ effectibus horrendis, apud mulierem, per urethram, excernentem abdominalis diſſolutas fœtûs partes, nunc deveniamus ad præcipua, obſervantium ſcriptis inſerta, lythopediorum exempla, nempè, inſigniſſimas de fœtibus petrificatis obſervationes.

Quatuor numerantur lithopædia, ſcilicet, Dolanum, Senonenſe, Muſſipontanum, Toloſanum. Repreſententur illìc infantuli, lapidæâ incruſtati ſubſtantiâ; nam haud ſunt vera ſicuti ſaxa: operiuntur duntaxat materie gypſœâ, partibus tributâ circumdatis. Durius fit magis ac magis gypſœum corpus. Nullis remediis minuitur congruis illa creſcens durities, quæ ad punctum perventa quoddam, nullam experitur mutationem, vel minùs, notabilem; forſitàn enìm accidere poteſt metamorphoſim experiri leviſſimam, de quâ nulla datur notio.

Perpensâ lithopediorum duritie, conſiderentur nunc pericula, quæ ſecum trahere poſſunt dictæ petrificationes.

Nullum frequenter habetur; obſervatæ enìm fuerunt plurimæ fœminæ, lithopedia geſtantes, longiſſimum per tempus dies ſervant integros; quod probant ſequentes, 1°. mulier, Toloſanum geſtans lithopædium, 2°. alia per Senonenſem fœtum gravida lithopefactum, 3°. fœmina, cujus in ventre Dolanus fuit repoſitus infans, 4°. denique matrona, plures per annos, gerens homunculum in abdomine petrificatum, in urbe poſteà oſtenſum Muſſipontanâ.

Apud *Franciſcum Baylium* legitur relatio, de Toloſano infante ſcripta, atque ìn epiſtolâ conſignata, ſub lucem editâ publicè, eluceſcente decimi ſeptimi fine ſœculi.

A *Joanne Alboſio*, Senonenſis memoratur homotiunculus: in lucem edita fuit hæc narratio, extante decimi ſexti fine ſœculi. *Franciſco Bouchardo* debetur Dolani exemplum fœtûs. In naturæ curioſ. comment. conſignatur præſens hiſtoria, pro an. 72°. 17i. ſœculi.

Apud *Honoratum - Mariam Lauthierum* Muſſipontana narratur petrificatio.

Abdominalium expoſitis fœtuum inſigniſſimis petrificatorum obſervationibus, enumerentur infantes putrefacti, in abdomine extrà uterinam reſidentes caveam.

1°. Narratus apud *Bianchyum* in hiſt. *de Viciosâ morbosâque generatione*, fœtus, ad Taurinenſem pertinens fœminam, per umbilicalem excretus abſceſſum.

2°. Apud *Tulpium* memoratus, in obſ. med., infans, gangrænâ

correptus, in materno ventre infimo reſidens, uterinum extrà cavum, & per hunc inteſtinalem ductum excretus, nomine *rectum* apud Anatomiſtas.

3°. Narratus apud *Aſtrucium*, in opere, cui titulus, *mulierum morbi*, homunculus, paulatìm in fruſtula per abdominalem ejectus abſceſſum. Gravida erat mulier, ex urbe Gallicâ, nomine Lunel.

Illìc exponentur fœtus, gaſtrotomiâ favente, ex abdomine extracti, defunctâ parente.

Exempla de re præſenti referunt *Solengenius*, *Stalpardius*, *Hocquius*, *Cabeliavius*, *Schoonius*.

Alia exempla, de eodem, *Monconyſius*, *D. de Laforêt*, *Baudoïnus*.

De enuntiato poſteriori obſervationes præbet *Mauricæus*.

Plurimas tribuunt, de ſupetiùs allato, *Deuſingius*, *Bartholinus*, *Rhoonuſius*.

De fœtibus, per inguinalem excretis abſceſſum, conſulendi *Cornax*, *Benevolus*, *Squenquius*, *Cognatus*, *Donatus*, *Polius*, *Sachs* D. Med. *Color*, *Raiſinus*, *Ronſſæus*, *Mulbranchærus*, *Mangerus*, &c.

De fœtibus deſſicatis ventralibus legendi *Courtialius*, *Calvius*, *Saviardius*, *Jouyus*, *Charmetonius*, Lugdunæus in Arte Chirurgicâ publicam poſſidens vocem, laudibus hunc virum egregiis decorantem, *Violetius* ex meâ patriâ, peritiſſimus obſtetricator, *Conſtantinius* in Arte Anatomicâ Præceptor meus, immortalis *Hallerus*, maximus *Boerhaavius*, inimitabilis *Heiſterus*, &c.

Haud ſub ſilentium ponenda, fœtuum fragmenta, in abdomine reperta, & in propriis contenta ſacculis. Quandòque, cum maxillis, extabant dentes, alteratis: aliquandò oſſa, ad thoracem pertinentia: plerùmque, vel bracchiorum, vel infimarum oſſeæ extremitatum partes: ſæpè cranii oſſa: capilli ſæpiſſimè, crines, deſſicatæ tegumentorum portiones: integra frequentiſſimè capita, non raro petrificatæ artériarum partes.

Apud fœminas non ſolùm humanas, brutorum etiam verò femellas, repertæ fuêre fœtuum reliquiæ. In catellis reperiit *Nucquius*, *Voglius* quoque, in cuniculis *Paitonius*, in ſuibus *Ruyſchyus*, in ſimiis *Littrius*, in mulis *Santorinus*, in leporum femellis *Graaffius*, in ovibus *Buſſierus*, &c. integris de fœtibus, mentionem agunt, beſtiarum in abdomine repertis, tranſactiones philoſophicæ, Acad. Sc. p. comment. à *Petro Gaſſaro*, & in beſtiis, & in fœminis, obſervati fuêrunt fœtus, capacitatem occupantes abdominalem. Cuidam *Matthiæ* proprias communicabat obſervationes *Gaſſarus*. Apud *Squenquium* memorantur talia phœnomena, in opere, cui titulus, obſ. rariar., & med., & chir. atque anatom. collectio. Mulieres plurimas ſecuit, fœtus in abdomine geſtantes & graviditatis in tempore emortuas, Cl. *Nicolaus Cloëſi*

Lichen
phiſodes

Feldquirquenſis Chirurgus , diſſectionum verſatiſſimus in arte , verè obſervante præditus ingenio. Quandam , nomine *Pflégérin* , fœminam , per inguinalem fœtum gravidam , diſſecuit *Cloëtius*. Laudatæ ſuperiùs, gravidæ huic , patria erat , ex urbibus præcipua , ad *Fridericum* pertinentibus , gallico vocata nomine *Vienne*. Ex mulieribus plures , apud quas repoſiti fuerunt in abdomine fœtus extrà matricem , ſede ex illâ , per gaſtrotomiam , poſteà extracti , dictis plures , inquam , ex fœminis , uterinos gerere fœtus haud valent , non contrariâ tamen , ipſiſmet propriâ , adhùc ætate. Probantem allata , refert *Cordæus* obſervationem : hic *Cordæus Hippocratis* commentator relativè duntaxàt ad opus , *mulierum de morbis* , medicinæ relictum à principe. Relati à *Cordæo* , veritatem exempli comprobat , ex *Ruëllio* nepos , *Albertus Faber*. Sequentes adduntur quoque autoritates , ſcilicet , *Sixtus Wirt* , *Paulus Dirlewang* , *Petrus Winckter* , *Joannes Entzianer* , *Quenzius* , *Boulduc* , &c. Iliacâ in regione dextrâ , fuerunt reperti fœtus , ex utero elapſi , favente , huic viſceri efformato , ulcere , illius parte dextrâ organi apertâ. in iliacâ regione ſiniſtrâ , quandòque , abdominales facti , reſident fœtus , ipſorum exitum favente , in ſiniſtrâ parte uterinâ creato , conſiderando ulcere. Teſtes habentur *Langius* , *Aretæus* , per quos fuerunt contemplati , iliacis in regionibus repoſiti , abdominales infantuli , uterinâ dilaceratione admiſſâ , è matrice elapſi. Iliacâ in règione dextrâ poſitum narrat *Giffardius* homunculum , laudabili fruentem ſanitate.

Abdominalibus è fœtibus plerique flaccidi habentur , perceptis , tactûs ope , matris trans tegumenta , oſſibus ipſorum. Conſiderandâ donantur alii craſſitie. Non mediocrem , poſſident quidam , longitudinem. Firmæ dantur pluribus carnes. Tribuitur paucis emaciatio , commiſerationem excitans. Eſt plurimis tortuoſum corpus. Imperfectum aliqui corpus habent. Longiſſimi decorant nonnullos capilli. Perfecti aliis ſunt dentes , vel inciſorii , vel canini , vel molares. Numerum apud majorem , haud ingratus , conſpicitur vultus. Quantitatem apud multam , formata ſat benè , apparent exteriora , ad generativam inſervientia functionem , organa. Intima maximè habetur quandòque , ex placentarum parte , quibus donantur , reſidentes ventrali in caveâ , infantes , vel ex ovario , vel ruptâ ex tubâ , vel ex matrice elapſi , adhæſio abdominalia quædam viſcera : quæ adhæſio extat aliquandò tam ſtrictior , apud alios , ut disjunctionem , ferreo etiam fretus inſtrumento , difficillimè operet diſſecans. Aliquandò ſunt maximè intricati , inteſtinalibus cum flexibus , umbilicales funiculi , abdominales factos ad homunculos pertinentes. Placentâ deſtituuntur plerùmque , abſente quoque funiculo. Evenit non raró , duntaxat funiculum exiſtere ſolum , placentâ abſque. Reperitur ſæpiſſimè , funiculo non extante , placenta , gallicè vel *délivre* , vel *arriere faix*. Abſceſſus , vel in

epigaſtrio ,

epigaſtrio, vel in umbilico, vel in hypogaſtrio, vel in inguine, aut dextro, aut ſiniſtro, efformare valent, geſtati uterinam extrà cavitatem, & vel epigaſtrici, vel umbilicales, vel hypogaſtrici, vel inguinales, infantuli, dicti ideò abdominales, ex uterinis, facti. Curabiles ex abſceſſibus alii, incurabiles alii : excernuntur per alios integri fœtus : exeunt in fruſtula per alios. Illorum exitus fœtuum, cum vel dolore, vel ſine : modò repentini, modò gradati, nunc dilacerantes, nunc pravum non efficientes effectum. Poſteriori in illo caſu, ſupervivit mater, heterogeneis corporibus omninò excretis, ventrali incluſis cavo. Quandòque abſceſſui ſuccedere fiſtula poteſt : tunc eſt non curabilis apertura, nullum verò procreat incommodum grave. Illius curationem fiſtulæ tentare Chirurgi non debent ; ferè enim ſubitò abriperet lethum parentem, perfectè aditu clauſo, per quem, noxium quidquid ſibi, natura excernit. Conſideratis abſceſſibus, per fœtus abdominales, propriè dictos, efformatis, obſervamus nunc infantes quoſdam, in abdomine reſidentes, pro ſede propriâ habere aliam regionem, occupante regionem aliam ipſorum placentâ. Legitur apud *Storchyum* relatio de fœtu, cui erat ſedes diaphragmatica regio, lumbali in regione ipſius placentâ reſidente. Refertur iſtud exemplum in Hiſt. Acad. pro an. 17°, ſæculi 18^i, n°. 4. Memoratur quoque idem in conf. Storch. de Molis, caſu 33. Homunculum refert, iliacâ in regione dextrâ repoſitum, reſidente in ſiniſtrâ regione iliacâ placentâ ipſius, Autor quidam anonymus. Inſigniſſimæ poſſeſſorem famæ, apud Autorem infantulus refertur, materno ſub jecore collocatus, dùm ſplenicam occupabat regionem placenta ipſius. Quemdam narrant homunculum, fide digniſſimæ hiſtoriæ, rectum inter & matricem collocatum, poſitâ uterum inter & veſicam placentâ ejuſdem. Fœtûs placenta maternum inſidebat ventriculum, exteriorem uterinum incumbebat fundum infans. propè colon, in ſacculo, continebatur infantulus, abdominali, ipſius tamen ſecundinæ apparebant, non longè diſitæ à ſiniſtro cornu, non contentæ : teſtes, *Puzoſius*, *D. de la Mothe*, *Boſchius*, *Grameſius*, *D. Lebas*, &c. examinatis omnibus variis abdominalibus locis, ubi ſeſe reponere poſſunt ventrales fœtus ipſorumque ſecundinæ, nunc ad hydropem, abdominali plerùmque ſuccedentem geſtationi, tranſeamus.

Abdominalis infans liquefactus, copioſam plus minùſve aquarum collectionem in ventre infimo quandòque generat. Ineunte hydrope, non gravia perſentit mala genitrix : aſt verò, progrediente morbo, difficilis magis ac magis fit reſpiratio, tument infimæ extremitates, frequentes habentur cardialgiæ, &c. Non raro occumbunt mulieres, hydrope, geſtationem poſt, propriè dictam, ventralem, laborantes : in ſuppoſito caſu, inutilis eſt frequentiſſimè paracentheſis. Niſi ſuccedat hydrops dictæ geſtationi

graviditati, aliquandò generari ſquirroſitates valent : periculoſiſſima ipſas non concomitant ſymptomata : dùmtaxat à matre perſentitur gravitas, parùm certè grata : abſolutè laborioſa non eſt ſtomachalis digeſtio, neque inteſtinalis : longiſſimos trahere poſſunt dies ægræ : rariſſimè vergit ad cancrum ſquirroſus tumor : ad maraſmum potiùs tendit. In abdomine quandòque procreat tumores vel ſteatomatoſos, vel atheromatoſos vel melliceridæos, ventralis graviditas.

Dictos tumores obſervârunt, apud mulieres plurimas, ſubjectas diſſectioni, D. *Laurent*, *Horſtyus*, *Stephanus Willet*, *Salmuthus*, *Hildanus*, *Albucaſis*, *Planchyus*, &c. Illic obſervatur, frequentiſſimè producere matricis obliquitates, geſtationes propriè dictas abdominales ; modò enim, extante ventrali graviditate, ſiniſtrorſùm dejicitur uterus, dextrorſùm modò, antrorſùm quandòque, retrorſùm aliquandò. Adhuc eſt notandùm, à ſquirroſo tumore, habitante matricem, cum fœtu conjuncto, generari poſſe uteri rupturam, per quam creatur ventralis graviditas, abdomen petente tunc homunculo. De poſteriori facto illic allato, non pauca præbet exempla D. *Guillemeaud*, in Opere cui titulus, *infelices partus*. Apud Rhoonuſium leguntur nonnullæ obſervationes, de ventralibus, per exiſtentem in matrice cum geniturâ ſquirroſum tumorem, geſtationibus. Conceſſo ictu parenti, quandòque fit, ex uterino, ventralis, fœtus.

Adveniente matri lapſu, abdomen ſubit aliquandò, utero incluſus, infans. Pravè ſito in matrice homunculo, plerùmque naſcitur uteri ruptura, quam ſequitur abdominalis geſtatio. Obſtructo uteri orificio ideòque fetûs exitui obſtante, procreatur frequenter in abdomine graviditas, dilaceratâ matrice vel ad fundum, vel ad corpus, vel ad latus dextrum, vel ad latus ſiniſtrum, vel ad anteriorem faciem, vel ad faciem poſticam. Apud Squenquium, apud Germanicum Diarium memorantur, de uteri rupturâ ventralem procreante geſtationem, obſervationes non paucæ, quibus addi debent exempla, eâdem de materie, à *Van der wiellio* relata, in Opere cui titulus : Obſ. Rar. Anat. Chir. Med. collectio. Similia reliquit exempla *Hippolytus Geniſortus*. Præſenti de re ſcripſit *Joſephus Aranea*. Laudatâ de materie, ſcripta dedit *Joannes Burgiſius* Bremgartenſis. Manuſcripta, de allatâ uteri dilaceratione, fecit *Felix Platerus*. Dicto de ſubjecto conſulendus *Balthazarus Bleyempirgius* Trajectinus. Per nimiorem, ex uterinarum parte tunicarum, levitatem, generari poteſt abdominalis geſtatio, à fœtu, priùs uterino, efformata, nunc ventrem ſubeunte maternum. Per digitos, uterinis vehementiùs applicatos parietibus, ſi dilacerationem gignat obſtetricator, tunc ventralis fieri poteſt fœtus, uterinam occupans ſedem. In matrice reſidens, tetano correptus, domum quandòque rumpit homun-

culus, ventremque ſubit, atque in poſteriori cavitate illâ producit graviditatem. Ventrales procreant geſtationes dilacerata matrix non ſolùm, etiam verò tubæ diſruptæ, ovaria dilaniata. Subitaneam dilacerationem, vel utero, vel tubis, vel ovariis datam, comitatur frequenter ſanguinis effuſio, ſecum trahens plerùmque matris lethum. Sanguinæi ſocia effuſionis habetur ſyncopa, plus minùſve acuto, plus minùſve periculoſo, à dolore producta.

Juxtà me, vocatur non immeritò mixta geſtatio, graviditas illa, quæ fit, partìm vel in alio ex ovariis, vel in aliâ ex tubis, vel in utero, partìm in abdomine.

In mixtâ geſtatione, menſes aliquot, primâ in ſede trahit fœtus, &, quod poſt excurrit, tempus in ventre ducit. Tributa à me, denominatio graviditati huic, in aliâ partìm ſede, in alio partìm loco factæ, eò magis convenit, quò minùs benè applicatur ventralis nomen geſtationis, huic, per fœtum, in abdomine duntaxat momenta aliquot, horas etiam aliquot, dies aliquot etiam agentem, efformatæ. Meritò applicatur ventralis denominatio graviditatis, illi geſtationi, per ovum, immediatè ex ovario, poſt fœcundationem, in ventre elapſum, illìcque auctum atque grandius factum efformatæ.

Pariſinis inſeruntur actis obſervationes, humanis de ovulis, in ovario priùs fœcundatis, immediatèque, peractâ fæcundatione, ventralem elapſis in cavitatem, atque accretis illìc. In muribus vidit *Hallerus* abdominales infantulos, ex ovario, ut videbatur, elapſos; nulla enim, neque tubis, neque utero, extabat dilaceratio, ſanis quoque ovariis, quamvis fœtus dictos præbuiſſent hæc poſteriora: eſt notandum fuiſſe elapſa, poſt fœcundationem, ovula immediatè ab alio ex ovariis. Edimburgenſis commentaria Societatis, analoga narrantur exempla: apud quoque *Peyerum*, apud etiam *Muraltum*: additur *Valiſnerius*: in adverſariis legatur adhùc *Morgagnius* Anatomicis: curioſa conſulatur adenographia, *Riolano* ab autore præbita. Tumor, iliacâ in regione, vel ſiniſtrâ, vel dextrâ, ſitus, extraneum continens fœtum, tàm conſiderandus quandòque extat, ut mater, adhibito etiam vinculo, ſuſtollere teneatur, deſcendentem in cruribus, prœminentiam, ad genua aliquandò tendentem uſque. Illâ de poſteriori materie, inſeritur, naturæ curioſorum apud ephemerides, obſervatio egregia: videatur tom. pro an. 70, ſæcli 17i. includebatur ſacculo fœtus, de quo agitur illìc. Acutiſſimis vexata doloribus, expiravit mater. Dictæ mulieri erat patria, nomine *Niſſa* urbs quædam. Fuit extractus, formatus ſat benè, ſanitate fruens, homunculus, de quo agit narrator. Ipſi fuit datum nomen *Thomas* gallicum. Menſes ſexdecim, luce fruitus fuit infans noſter. Hujus narratores facti memorantur, *Nicolaus Polion*, *Sachs* D. Med. quandòque, cum fœtu, continentur, in ſacculo

reſidentes, nidoroſi flatus, exeuntes, ſacculi apertura, vel per artem vel per naturam, extante. Hoc de phœnomeno refert *Solingius* exemplum. Nonnullis abdominalibus infantulis, gangrænâ correptis, ſeparata reperiuntur tegumenta, inciſo matris cadavere. Fœtus quidam, in abdomine ſedentes, in poſticâ capitis parte impoſitis manibus, ſeſe offerunt. Plures buccam, directionem juxtà obliquam, elevatam poſſident, oſque pubis aſpicientem. Per quoſdam excitantur, apud genitricem, animi defectiones, oppreſſiones, tremores, febris, ſubflavarum dejectio per ſuperiora materierum, ejiciendorum impoſſibilitas ſtercoralium. Aliquandò triplicem offert partem placenta: aliquandò dura maximè, matrix. Quandòque parviſſimus, uterus. Apud Paucas, ventralem geſtantes fœtum, mollis, cartilago, oſſa pubis interpoſita. Factam, actualis ope cauterii, per aperturam, exeunt ventrales fœtus quidam. Putreſcentem ſic extraxerunt homunculum *Ithierus*, *Gallometus*. Non rarò pereunt, copioſiſſimam per diarrhæam, nonnullæ matres, in abdomine geſtantes extrà matricem: teſtis, *Hollerius*. Videatur finis tom. 1, de internis morbis, ab *Hollerio* ſcripti. Annos per viginti quinque, geſtantur pauciſſimi fœtus, quandam imi ventris occupantes regionem. Illud probat *Bleygniana* obſ. 9, medico inſerta diario, an. 1.

Tranſversim reponuntur, epigaſtricâ in regione, ventrales homunculi quidam: quod probatur obſervatione, ex c. n. eph. an. 1681, p. 13. Reperiuntur rariſſimè corpora, rotundâ donata figurâ, fœtus continentia, inſidentia abdomen, ad extremum fruentia duritie, ferreis duntaxat cedentia inſtrumentis.

In Acad. S. hiſ. an. 1721. p. 33. legitur fœminæ narratio, in abdomine ſimile corpus geſtantis. Gravidæ erat nomen *Anna Mullerin*. Medio in ventre, rotundam gerebat maſſam, apertâ in quâ, ſuperiorem fœtûs diſtinxit partem *Camererius*.

Involucris ſunt orbati quandòque abdominales fœtus: talis erat fœtus, ad taurinenſem pertinens fœminam, de quâ loquitur *Byanch*.

Repertis in abdomine, de fœtibus loquuntur *Vanderbelen*, *Thibault*, *Crantz*, Medico in diario memorati, Autores. Ventrali de geſtatione egit *Vandermonde*, Medico laudatus in diario.

Animantium fœtus, ſuper-fœtatione geniti, effuſi in abdomen, exiles, memorantur apud *Vaterium* grav. appar. n. 7.

Geſtabat ſinenſis muliercula, integro ab anno, inteſtinalibus mediis circumvolutionibus, petrificatum infantem. Matris tegumenta, abdominali in parte, ſub quâ reſidebat infans, fuerunt facta, cartilagini ſimilia. Fœtui diſtinctiſſimè conſpiciebantur exteriora, generativam inſervientia functionem, organa: fœmineo erat præditus ſexu homunculus: illæſo,

apud matrem, utero, integris cornubus, ſine rupturâ ovario utroque. (Anonymo ab Autore relatio præſens.)

Nunc exponenda obſervatio duodecima ab Autore *Franciſco Bouchardo*, de infante, matris à morte, ventrali in cavitate, geſtationis annos poſt ſexdecim & quod excurrit, reperto.

Temperamento ſanguinea, mulier quædam, felicis atque laudabilis habitûs corporis, mediocris ſtaturæ, tribus luſtris ampliùſque utero geſſit, nono licèt graviditatis menſe, præviis omnibus ſignis, conſuetos partûs dolores, abſque ullo tamèn alio affectu fuerit perpeſſa, niſi quòd ità fuerit emaciata, ut poſteà ſceleton referret, & quibuſdam adjuta præſidiis, ſensìm convaleſcens, refluentibus ex ordine, in parvâ tamèn quantitate, purgationibus, in dies intumuit venter, cum incredibili totius diſtenſione abdominis, quamvis ratione victûs, quotidianis exercitationibus & catharticis convenientibus, ex arte, fuerit proviſum, annum tandèm ætatis quinquageſimum tertium, prætergreſsâ febre lentâ, & diarræâ diù conflictata, die menſis Junii vigeſimâ octavâ an. 1661. fato eſt functa. Cùm autèm latentis magna molæ foret ſuſpicio, tantâ in rei novitate, defunctæ ad domum, ſequenti die, aliquibus cum Chirurgis, convenêrunt Regii medicinæ Profeſſores, ut, corporis ex diſſectione, rem diligentiùs totam indagarent, adeò ut, in ventris primâ inferioris inciſione, novaculæ reſiſterent integumenta, quæ, cartilaginoſæ & gipſœæ naturam ſubſtantiæ referentia, ità inter ſe evaluerunt, ut, cum ſuperiore & anteriore uteri parte, corpus conſtituere unum viderentur, nec, ſimùl juncta, ſemi-digiti craſſitiem excederent. Apertis ſcalpello integumentis, cum impetu, quaſi ex dolio, ſeroſus erupit humor, colore ſub-croceo, minimè fœtens, quo ad ſexdecim libras circiter educto, ſtatim videndum ſe præbuit fœtus, nullis tectus involucris, imò nullum ferè uteri apparebat veſtigium, niſi, quâ parte, conjungebatur utero fœtus. Hypogaſtrium tranſversìm ſcindebat is, ſursùm faciè ſpectans, vertice ilio dextro, pedibus verò circà ſiniſtri regionem renis ità firmiter adhærebat, ut, ſine ſectione, & duorum ope chirurgorum, avelli non potuerit. Avulſus tandem, partibus ſuis abſolutus omnibus, eſt deprehenſus, nec, ultrà eam, excreverat, magnitudinem, quam, naturæ juxtà conſuetas leges, novem-meſtris aſſequitur fœtus, durior paulò muſculoſa caro, ab ambiente, poſt modum, molior facta, depreſſus naſus, clauſum os, induratæque fuerunt gyngivæ etiàm obſervatæ, abſque auxilio, tribus certè diebus, à putredine immunis ſervatus fuit, elapſis quibus, interranea placuit corrumperentur priuſquàm, explorare, quæ omnia certiſſimè integra, ſed flaccida, abſque ſanguine: attamen, ſimili humore madentia ſeroſo, deprehendimus. Umbilicalia equidem vaſa in extremitate occluſa, trium duntaxat latitudinem digitorum

æquabant : integer fœtus etiàm nunc , nullâ , vel levi , adhibitâ verò operà , dolæ aſſervatur & oſtenditur , atque hæc juxtà exemplar dolanis excuſum typis. (Eph. c. n. 1681 , p. 13.)

Abdominalem , claſſi ex primâ , graviditatem quandòque procreat tubalis flacciditas conopeii. Tubariæ partis fimbriatæ defectu mobilitatis extante , quandòque inſurgit ventralis , priori ex ſpecie , geſtatio. Per ſpiſſiorem tubæ fimbriatam partem , aliquandò procreatur abdominalis , ſpecie ex præcipuâ , conceptus. Applicationis defectu , ex fimbriatâ parte tubali , ad fœmineum teſtem , oriri poteſt ventralis , primo ex ordine , conceptio. Prava , ad ovariam , tubalis applicatio partis fimbriatæ , producit , vel minùs creare valet in caveâ infimi ventris geſtationem , ordine in priori ſitam. Sententia *Aſtruciana* , de geſtationis , propriè dictæ , ventralis omnibus caſibus frequentioribus. In dicto Autore videatur , apud mulierum morbos , de ventrali paragraphus geſtatione.

Quandòque , ſursùm pedes , deorsùm caput , abdominales fœtus.

Tubariis graviditatibus rariores ſunt & minùs notæ , ventrales conceptus.

Triplex diſtinguitur ſpecies : in priori , ovum , peractâ fœcundatione , nedùm in cornu cadat , infimi in capacitatem ventris elabitur , quod accidit per allatas ſuperiùs , cauſas : in ſecundâ , ovum , vel rupto ex ovario , vel apertâ è tubâ : in tertiâ , venit ovulum , matrice ex dilaceratâ.

In primâ , caveâ in ventrali accreſcit ovulum , ad aliquam hærens partem.

De abdominali geſtatione , per ruptum efformatâ uterum , obſervatio illic adjicienda ſit. In iſto caſu , umbilici per latus ejecit fœtum genitrix. ſic refert narrator : hiſtoriam , abſque contradictione , veram adhùc referam , ex illuſtriſſimæ & heroïcæ relatione principiſſæ , quæ , ex illuſtri *Bomboniâ* ſtirpe , eſt guyſiana uſu fructuaria , quæ licèt ætate ſit grandæva , ſano tamèn corpore & animo eſt , quod admiratione dignum & hujus ſæculi hæroïcis perſonis , exempli loco eſſe debet , quam , ex doctiſſimo ipſius medico , *D. Bunoto* , cognovi , qui , ad urbem , id quod ex ipsâ ſpeciatìm cognoverat , & quod etiàm nuper denuò ad me tranſcripſit. Hiſtoria sìc ſe habet : « cùm ſua celſitudo , antè matrimonium , annorum jàm eſſet viginti , & apud matrem adhùc educaretur , *Phæræ* , urbe *Picardiæ* , & in templo eſſet , vidit matri ſuæ adduci juvencam , ægrotam , pallidam , proſtratis viribus , tumentem , tantiſque doloribus divexatam , ità ut , nec , quis morbus eſſet , noſceretur , nec ſpes ulla ſalutis ſupereſſet : quare princeps , miſericordiâ mota , eam obſtetricibus inſpiciendam tradidit : quæ rem uti ſe habeat , patefecêre , ægrotam nimirùm , quæ virgo cenſebatur , adultum infantem , & à longo tempore mortuum & putridum utero geſtare , ità ut oſſa , perforatâ ma-

trice, ad umbilici latus conſpicerentur. Quo ex loco, ipſa princeps oſſa aliquot extrahi, & copioſiſſimum pus fœtidiſſimumque emanare vidit: quo tamen affectu, brevi temporis ſpatio, percurata fuit: quam etiàm diù, prædicta ſuperiùs, domina, ſanum obſervavit, ſed, quid tandèm ei acciderit, ignorat, nec etiàm, an fuerit, poſt modum, maritata, aut denuò gravida facta, aut contrà; cùm enìm paulò illuſtriſſimo principi felicis memoriæ nupſiiſſet, ſedem mutavit, nec, quid poſt modum ipſi acciderit, perquiſivit. (*Rouſſetus* de part. cœſ. ſect. 4, c. 4, hiſ. 6.) (Apud *Squenq.* obſ. rar. p. 571.)

Orthianus infans, quadraginta ſex annos, in ſacco fuit, uterinum adnato organum.

Per fœtum dilacerata fuit matrix, ilium juxtà dextrum, ipſius propè collum uteri. Dilaceratæ parti longitudo erat ſemi-pede. In ventre reſidebat fœtus. (Salmuth. Obſ. 16, cent. 1, p. 12.)

Aperta fuit quædam, partûs in tempore: mortuo fœtu dilaceratus, ſiniſtram juxtà partem, uterus. In abdomine fœtus erat. (Fabricius Hild. cent. 1, Obſ. Chir. 64.)

Quindecìm annos geſtatus in hipogaſtrio fuit fœtus, chorio ſuo, meſenterium adnatus, apud *Bianchium* citatus p. 164.

Nunc illìc ponatur trigeſima obſervatio Stalpardiana, Hìc agitur de matrice dilaceratâ, atque, reperto, in abdomine materno, de fœtu, extrà uterum collocato. (P. 306, t. 2, an. 1683. Traduc. ab Autore Planchio.) ſic ſe habet His: » nous fûmes préſens *Hocquius*, *Cabeliavius*, *Schoon* & moi, à l'ouverture que faiſoit *Solingius* du cadavre » d'une femme: ſa quarante-quatrieme année fut la derniere de ſa vie; » cinq enfans lui avoient appartenus: l'accouchement de chacun de ces » cinq enfans avoit été laborieux: *Solingius*, ſon Accoucheur ordinaire, » l'atteſtoit. Le bord de ſon utérus étoit déchiré. Le fœtus étoit dans » le ventre. Une bonne portion du cordon y étoit auſſi. Il y avoit » dommage à la peau du dos du fœtus. Beaucoup de ſang inondoit les » viſceres abdominaux de la mere. Trois jours avant la mort de cette » infortunée, l'écoulement des eaux avoit eu lieu: on introduiſoit, ſans » peine, la main fermée, dans l'utérus, par l'orifice naturel. »

His de geſtationibus conſulendi ventralibus, *Tertio Delana*, *Anellus*, *Trioënius*, *D. Flurant*, &c.

Ventrales fœtus geſſêrunt fœminæ quædam, ſeſe volventibus ter viginti annis, & tamen poſteà uterinos geſtârunt homunculos.

De re poſteriori iſtâ exemplum præbet *Santorinus*.

Quandòque fœtui, in caveâ abdominali reſidenti, habentur, quoad longitudinem, unciæ quinque, aliquandò, ſex: duntaxat nunc loquor de fœtibus, ex ovario elapſis in ventrem. Quinque uncias poſſidentem, è

muliebri teſte in abdomen elapſum, vidit *Vieuſſens.* Narratur apud Mangetum Theat. 2., p. 140. Præſens obſervatio. Apud Mercerum, Med. Biturnenſem, legitur, de hoc ſuperiùs allato, exemplum.

Corrodentis fluxum humoris cujuſdam, è genitalibus, gravidæ per abdominalem fœtum, ſtillati, memorant multi obſtetricantes. Sub geſtationis finem extat dictus fluxus. Tam corroſivâ donatur virtute liquor, de quo agimus illic, ut alterentur ſæpiſſimè & etiam non mediocriter, circundatæ partes. Memoratur hic fluxus in obſervationibus, apud phil. tranſ. conſignatis & de ventrali geſtatione actis. De laudato effluxu mentionem facit *Sampſonius* in phil. coll. eâdem de re agunt quoque *Tylonius*, *Grewius*, *Bottgerus* cui debetur eximia de præexiſtente fœtu diſſertatio, *D. le Bas* diſſ. de ov. concep. Autor celeb.

Non raro evenit, unà exiſtere, ventrali cum hydrope, abdominalem geſtationem. Iſto in caſu, paracentheſis ope, evacuari debent aquæ collectæ, poſteà, adhibito partu cæſareo externo, extrahi debet infans. Mulierem, ſimùl cum fœtu in ventre aquarum copiam geſtantem, vexat frequentiſſimè totius languor corporis, quandoque, abſente languore, vel non, torquet affectio arthritico rheumatica. Sive ſit languor, ſive ſit affectio dicta, in caſu utroque exiſtit mingendi difficultas.

Non raro gignit abſceſſus folliculoſos abdominalis geſtatio: modò per ſe aperiuntur abſceſſus, modò nullam ſubeunt aperturam. Si fiat apertura, tunc, in abdominali extravaſatum caveâ, tabum graviſſima procreat mala, circuncingentibus tribuit putrefactionem partibus. Niſi folliculoſus aperiatur abſceſſus, tunc, vel incrementa acquirit, vel nullam ſubit mutationem. Si augeatur, tunc matri quandòque incommodus maximè. Si non mutetur, tunc aliquandò geſtat mater diutiſſimè.

Creata per fœtûs in abdomen è tubâ elapſum, fieri lethalis poteſt geſtatio, imum occupans ventrem, imprimìs ſi copioſiſſima extet, in ventre, lochyorùm extravaſatio: necatur quoque aliquandò mater, fœtu abdomen petente, è teſte muliebri elapſo, cum lochiis, non mediocri quantitate. Parenti lethum ferri valet, utero, per ſuî dilacerationem, exitum fœtui præbente, atque abundantibus lochiis, abdomen ſubeuntibus. Quandòque uterinus infans, ſeptem natus jamjam menſes, abdomen ſubit, ideòque in caveâ inferiori abdominalem creat geſtationem. Quandòque fit idem per homunculum, octo natum menſibus; adhùc matrice inſidentem. Aliquandò per infantem, in utero geſtatum, & decem menſibus grandiorem.

Varia quoque habentur tempora, quibus ſedem linquunt tubarii fœtus, ventrale petituri cavum.

Variantur etiam tempora, quibus, abdomen ſubituri, carcerem relinquunt fœtus, in ovariis enutriti. Mortui, aut vivi, abdomen petunt infantes,

ſantes, vel ovarii, vel tubales, vel uterini. Mortui, putrefactionis ope, ventralem ſubeunt cavitatem. Vivi, rupturæ ope, priorem linquunt domum. Utroque in caſu, grandiſſimum matri periculum; ſemper enim eſt hæmorrhagia. Admiſsâ putrefactione, primùm gangrænâ corripiuntur muſculares fibræ, poſteà vaſorum tunicæ. Suppoſitâ dilaceratione, rumpuntur, vel ſubitò, vel gradatim, ſedis parietes. Si repentè, tunc promptior, mors: ſi gradatim, tunc ſubitaneum minùs, lethum. Admiſsâ dilaceratione repertinâ, excitantur vehemens dolor, metuenda ſyncopa. Conceſsâ dilaceratione gradatâ, tunc vehemens minùs, dolor, lethifera tardiùs, ſyncopa, vel animi defectio.

Efformant abſceſſus, quibuſcunque in abdominis regionibus, ventrales fœtus univerſi, vel in iſtâ enutriti caveâ, vel in ipſam elapſi, aut ex ovario, aut ex cornu, aut ex matrice, ſeù vivi, ſeù emortui. Externi aut interni ſunt dicti abſceſſus. Externis metuendi magis interni; per enim poſteriores alterantur frequentiſſimè organa, quorum læſiones graviſſima ſequuntur mala. Quoad externos, difficilis non eſt plerùmque curatio, non tamen perfectè radicalis; fiſtula enim ſequens eſt, ut jam ſuprà diximus. Memorantur mulieres quædam, in abdomine extrà-uterinum geſtantes infantem emortuum, in utero tamen vivum poſſidere homunculum, per vias poſteâ excretum requiſitas, laudabili fruentem ſanitate. Narrantur nonnullæ fœminæ, quarum in utero mortuus collocatus erat infans, geſtato tamen in ventre, alio fœtu vivo, benè formato: uterinus, per vaginam exiebat, vel liquefactus, vel in fruſtula redactus: ventralis, vel per abſceſſum, vel per gaſtrotomicam ſectionem, extrahebatur. Apud matres quaſdam, infantem geſtat ſiniſtrum ovarium, alio fœtui ſedes habetur dextrum. Idem eſſe poteſt, relativè ad tubas: gerere valet, eodem tempore, fœtum quæque.

Juxtà me non eſt abſolutè impoſſibile fœminam eandem poſſidere, dato tempore eodem, in abdomine oſſea fœtûs fragmenta, in alio ex ovariis carneas partes, ad quendam pertinentes fœtum, in aliâ ex tubis, homunculi capillos aut dentes aut partes alias, in utero ſanum infantem. Noſtrâ in hypotheſi, libera ſunt, & aliud ovarium & tuba alia. Ergò ad conceptionem veram ſufficit hæc via. Nunc à me conſtituuntur principia ſequentia, ſcilicet, contendo non poſſe fœtum non extare, ſeu in utero, ſeu in abdomine, ovariis ſanis, illæſis cornubus: contendo adhùc geſtare uterum poſſe, ſanis & cornu alio & alio ovario ex latere eodem, obſtructis tamen & oppoſitâ tubâ & oppoſito ovario: contendo denique unà, eodem tempore, gravida eſſe uterum poſſe & aliam ex tubis, aut aliud ex ovariis, aut ventralem caveam: nunc, ſuppoſitis à me, obliteratis perfectè, cornubus, dico exiſtere tamen poſſe, vel in alio ex ovariis, vel in ventrali cavitate geſtationem, admiſſis conditionibus, ad

conceptionem, vel veram, vel ſpuriam, vel contrà-naturalem requiſitis; fretus enim Buffonianâ opinione, contendo poros tranſudare & ad aliud ex ovariis uſque pervenire aliquas prolifici particulas ſeminis maſculini, fœmineum fœcundaturas ovulum, proprio calyce adhùc incluſum. Si admittetur, quibuſdam cum Phyſiologiſtis, per ſe fœcundum haberi cujuſque ſemen ſexûs, nunc erit haud mirum, quandòque extare geſtationes, vel ovarias, vel tubales, vel uterinas, vel ventrales, apud etiam rariſſimas virgines; obſervantur enim filiæ, caſtitatis ſectatrices, quibus poſt mortem exſectis, diſſecanti præſentabantur, vel in utero, vel in teſtibus, vel in cornubus, oſſeæ aut carneæ productiones, aliquandò etiam fœtuûm reliquiæ, modò capilli, modò crines, nunc dentibus armatæ maxillæ, nunc calvariæ oſſa, nunc digiti, &c.

Apud humanos plures maſculos, in teſtibus repertæ fuêre, perceptæ non obſcurè, fœtuum portiones: apud alios, dentes: apud alios, crines intricatiſſimi: apud quoſdam ſiccata, tegumenta: apud nonnullos, cartilagines. Non raris obſervatoribus offeruntur, in humano interiori ſcroto, homunculorum fragmenta. Apud humanam gentem non ſolùm examinantur talia phœnomena, apud beſtiarum etiam verò varias ſpecies. Si mihi non ſit nefas, poſitum eſſet illic ſignum, per quod, ſine incertitudine, judicari poſſit, an putris ſit, vel ne, in ventre geſtatus, homunculus: conſiſtit illud ſignum in eo, quòd, materno ex ore, reddantur peſtilenti flatus, quorum ejectionem ferre haud valent, fœtidiſſimum propter odorem, aſtantes. Incipiente, addominalem corripiente fœtum, putrefactione, inquit anonymus Autor, ſed venerandiſſimus, matrem vexant anomalæ febres, flenda ipſi tribuitur gradata emaciatio, genitricem torquent ferè intolerabiles anxietates, per genitalia fluit, ingrato donatus odore, humor, variis præditus coloribus, formicans exploratur pulſus.

Progrediente putrefactione, ceſſant, vel minùs, ſymptomata minuuntur, ſuperiùs laudata. Terminato mortificationis greſſu, advenire non tardat lethum, parentem correpturum. Secto genitricis abdomine, quandòque reperiuntur, putrefacto cum fœtu, molliæ vel carneæ concretiones, oſſeæ vel productiones, cum creaturâ geſtatæ, per ſuper-fœtationem, ſinè dubio, efformatæ: quandòque reperiuntur, vel aquoſæ, vel ſanguineæ, vel ſebaceæ, vel melleæ, vel pulteæ, collectiones, quibus generantur tumores ſteatomatoſi, atheromatoſæ prœminentiæ, melliceridæ eminentiæ, in abdominibus fœminarum, homunculos geſtantiûm ventrales, inventæ: quandòque percipiuntur, plus minùſvè duræ ſquirroſitates, plus minùſve elatæ, minùs pluſve frequentes: aliquando conſiderantur innumeræ hydatides: plerùmque offeruntur tuberculi, variis ex conſiſtentiis, diſſimilibus ex coloribus, quoad plaſticam materiem inter ſe diſcrepantes.

Nunc enumerentur variæ fontes, quibus extrahi poſſent fundamenta, pro immenſo de extrânæis geſtationibus opere, imprimìs de ventralibus graviditatibus.

Diar. Germ. decad. 1, an. 2, obſ. 84, p. 159, de ventrali, per matricem ruptam, geſtatione.

Eph. c. n. decad. 2, an. 4, obſ. 22, de Geminis, in ventrali repertis tumore.

Hild. cent. 1, obſ. 67, p. 51, de vent. geſt. per rup. ut.

Ruyſch. ad. 3, p. 6. t. 2 f. 4, 5, adv. 1, n. 2, de fœt.

Fragm. in ov. tum. Steatom. Reper.

Riolanus anthropograph. l. 2, p. 283, 4, 5, de v. geſt. per uter. rup.

Tr. ph. t. 3, p. 212, de concep. ov.

Hiſt. Acad. Sc. p. an. 1716. n. 4, de v. geſ. ex primâ cl.

Miſc. n. c. 1670, p. 254 de geſt. v. ex primâ cl.

Monconn. it. 2, in ital. p. 457, de v. g. ex primâ cl.

D. de St. Maurice apud Bleygny an, 4, 5, M. Jan. Phil. tranſ. n. 150, de v. g. per rup. ov. veſic.

Hall. comm. de inſ. Med. Boerh. t. 4. part. 2, p. 107. de concep. ov.

Duvern. Acad. Sc. 1666. t. 2, 15, de fœt. deſſic. in aliâ ex tub.

Hiſt. Acad. Sc. 1701. hiſ. 40. de fœt. ov.

Id. ibid. 1702, de fœt. tub.

Duvern. nat. Maj. 1702, de inf. tub.

Calvo de fœt. v. Acad. Sc. 1714. hiſ. 23.

Boulduc de fœt. tub. 1721, h. 33.

Miſc. chir. cl. *Pouteau* de tub. g. per 7 an. & ultrà, p. 383.

Med. diar. de fœt. conc. tub. 1756, m. nor.

D. Flurant apud Pout. de vent. fœt. p. 485.

Buſſ. de tub. fœt. tranſ. ph. 1694, n. 20, art. 2, de g. v. h. ac. Sc. 1702, p. 298.

De tub. fœt. Dyon. anat. h. ed. 6, p. 212.

Albuc de f. v. chir. part. 2, c. 76, p. 221.

Hiſt. Ac. ſc. de extr. g. 1714, p. 23.

Miſc. n. c. 1670, p. 255, de fœt. ext.

Squenq. de v. g. p. 571, obſ. rar.

Barth. de hom. v. cent. 4. ep. 58, p. 368.

Barth. de viis part. inſol. c. 11, p. 54.

Bleygny de concep. abd. diar. Med. an. 1, obſ. 9.

Hild. de concep. v. reſp. ad Doring. epiſ. p. 908.

Ph. tr. de fœt. apud canes ventr. an. 2, p. 905.

Id. ibid de geſt. abd. apud lep. & agn. abr. 2, n. 362.

Breſl. 1723, m. nor. de fet. v. apud ovil.

Graaf. de hom. tub. apud Hall. comm. ad inſ. Med. Boerh. v. 4, p. 108.
Diar. Med. m. nov. 1756, de tub. inf.
Ronſſ. ep. Med. 1, p. 3, de v. fet.
Cornax hiſ. 4, p. 246, de fet abd.
M. Cordæus, comment. 1, ad lib. 1, Hypp. de mor. mul. text. 2, apud Squenq. p. 572, de inf. ventr.
Epiſ. bayl prof. Toloſ. ed. Tol. 1678, Lith. Toloſ.
Aſtruc. t. 4, morb. mul. geſt. v.

FINIS.